

vent. Quæsitum est, utrum usufructus, an proprietas earum rerum data sit? Respondit proprietatem legatam videri⁴⁷.

40. ALFENUS [VARUS, lib. 8 Digestorum a Paulo epitomatorum.]

Illi cum illo habitationem lego: perinde est, ac si⁴⁸ ita, *illi et illi*, legasset.

41. JAVOLENUS, [lib. 2, ex Posterioribus Labeonis].

Cum ita legatum esset: *Fructus annuus fundi Corneliani Publio Mævio do lego*: perinde⁴⁹ putat accipiendum esse Labeo, ac si usufructus fundi similiter esset legatus: quia hæc mens fuisse testatoris videtur.

42. *Idem*, [lib. 5, ex Posterioribus Labeonis].

In fructu id esse intellegitur, quod ad usum hominis inductum est: neque enim maturitas naturalis hic spectanda est, sed id tempus, quo magis colono dominove eum fructum tollere expedit: itaque cum olea immatura plus habeat reditus, quam si matura legatur, non potest videri, si immatura⁵⁰ lecta est, in fructu non esse.

43. VENTURIUS, [lib. 10 Actionum].

Nihil interest, utrum bonorum quis, an rerum tertie partis usum-fructum legaverit. Nam si bonorum usufructus legabitur, etiam æs alienum ex bonis deducetur; et quod in actionibus⁵¹ erit, computabitur: at si certarum⁵² rerum usufructus legatus erit, non idem observabitur.

TIT. III.

DE SERVITUTE LEGATA.

1. JULIANUS, [lib. 4, ex Minicio].

Qui duas tabernas conjunctas habebat, eas singulas duobus legavit. Quæsitum est, si quid ex superiore taberna in inferiore inædificatum esset: num inferior oneri ferendo in superioris tabernæ loco contineretur? Respondit, servitutem impositam videri. Julianus notat: Videamus, ne hoc ita verum sit, si aut nominatim hæc servitus imposita est, aut ita legatum datum est, *tabernam meam, uti nunc est, do lego*.

2. MARCELLUS, lib. 13 Digestorum.

Fundum communem habentibus legari potest via; cum et communis servus recte⁵³ viam stipulatur: et cum duo ei, qui ipse viam stipulatus fuerit, heredes existerint, non corrumpitur stipulatio.

5. *Idem*, lib. 29 Digestorum.

Si fundum Mævio, et ad eum viam per alium fundum, et eundem fundum sine via Titio legasset: si uterque fundum vindicasset, sine via legato fundum cessurum: quia neque acquiri per⁵⁴ partem servitus possit. Et si prius Mævius fundum vindicaret, altero deliberante, posse dubitari, an, si postea Titius omisisset, via legatum salvum esset? Et hoc magis videbatur. Quamquam si sub conditione quis fundum legasset, viam pure: aut pro parte fundum pure, pro parte sub conditione, et viam sine conditione: si, pendente ea, legati dies cessisset, interitum fore via legatum; ut responsum est, cum alteri ex vicinis, qui fundum communem habebant, viam sub conditione, alteri pure legasset, pendente conditione decedisset: quia alterius legatarii persona impedimento esset, quo minus solidus fundus cum via vindicaretur.

4. JAVOLENUS, lib. 9 Epistolarum.

Si is, qui duas aedes habebat, unas mihi, alteras tibi legavit; et medius paries, qui utrasque aedes distinguit, intervenit: eo jure cum communem nobis esse existimo, quo, si paries tantum duobus nobis communiter esset legatus: ideoque neque me, neque te agere posse, jus non esse alteri ita immissas habere: nam quod communiter sociis habet, et in jure eum habere constitit; itaque de ea re arbiter communi dividendo sumendus est.

5. PAPIANUS, [lib. 16 Questionum].

Etsi maxime testamenti factio cum servis alienis⁵⁵ ex persona dominorum est: ea tamen quæ servis relinquuntur, ita valent, si liberis relicta possent valere: sic ad fundum domini via servo frustra legatur.

47. L. 15, in fin. infr. de auro. — 48. L. 56, § 2, supr. de legat. 1. — 49. L. 29, supr. h. t. — 50. L. 20, supr. de usufr. — 51. L. 48, in fin. supr. d. t. — 52. L. 49, in fin. infr. de verb. sign. — 53. L. 8, L. 9, supr. de legat. 2. — 54. L. 12, supr. de servit. — 55. L. 12, § 2, supr. de legat. 1. L. 82, § fin. supr. de legat. 2. — 4. Fac. L. 4, § 1, supr. de usufr. et habitat. L. 111, infr. de verb. oblig. — 5. L. 1, § 45, infr. de aqua quodiv. — 6. L. 85, § 1, infr. ad leg. Falcid. — Tit. IV. — 1. L. 2, supr. de pact. dotal. L. 5, C. de pact. convent. — 2. § 13, infr. lic.;

6. *Idem*, [lib. 7 Responsorum].

Pater filie domum legavit, eique per domum hereditarias jus transeundi præstari voluit: si filia domum suam habitet, viro⁵⁶ quoque jus transeundi præstabitur: alioquin filie præstari non videbitur; quod si quis non usum transeundi personæ datum, sed legatum servitutis esse plenum intelligat: tantumdem juris ad heredem quoque transmittetur: quod hic nequaquam⁵⁷ admittendum est: ne quod affectu filie datum est, hoc et ad exteros ejus heredes transire videatur.

7. PAULUS, [lib. 21 Questionum].

Cum a pluribus heredibus institutis via legata est, quia partem⁵⁸ non recipit, singuli heredes in solidum conveniuntur: quia et uno ex heredibus adeunte vindicari potest.

TIT. IV.

DE DOTE PRÆLEGATA.

1. ULPIANUS, [lib. 19, ad Sabinum].

Cum dos relegatur, verum est, id dotis legato inesse, quod actione de dote inerat. — § 1. Et ideo, si inter virum et uxorem convenerat, ut morte viri soluto matrimonio, filio communi interveniente, dos apud maritum heredem remaneret, et maritus decedens dotem relegaverit: stari pacto non debet ob hoc, quod dos relegata est: verum et citra relegationem hoc probari debet: nam quod est admissum, posse deteriorem conditionem dotis fieri intervenientibus liberis, totiens⁵⁹ locum habet, quotiens ipsa in matrimonio decedit, vel divortium intervenit. — § 2. [Et] verum est, commodum in dote relegata esse representationis⁶⁰, quamvis annua die dos præstaretur. — § 3. Est et illud, quod ob res donatas hodie post senatusconsultum⁶¹ nulla fit exactio, si modo voluntatem non⁶² mutavit testator. — § 4. Impensæ⁶³ autem ipso jure dote minuit: sed quod diximus ipso jure⁶⁴ dote impensis minui, non ad singula corpora, sed ad universitatem erit referendum. — § 5. Adeo autem dotis actionem continet dotis relegatio, ut si vivus eam uxori (scilicet quibus licet casibus⁶⁵) solverit, cesset legatum. — § 6. Sed et si mancipia fuerint in dote non æstimata, et hæc demortua⁶⁶ sint: legatum dotis in his evanescit. — § 7. Sed et si dotem promiserit mulier, neque dederit, et decedens maritus uxori dote prælegaverit, mulier nihil amplius quam liberationem habebit. Nam et si quis ita legaverit, *centum, quæ in arca habeo*: aut, *quæ ille apud me deposuit*: si nulla sint, nihil⁶⁷ deberi constat, quia nulla corpora sint. — § 8. Si quis uxori fundum Titianum his verbis legasset: *Is enim fundus propter illam ad me pervenit*: omnimodo debetur fundus: nam quicquid demonstratæ rei additur satis demonstratæ, frustra est. — § 9. Celsus lib. 20 Digestorum scribit, Si socer nurui dote relegavit: si quidem jus actionis de dote voluit relegate, nullius momenti esse legatum; quippe nupta⁶⁸ est: sed si voluit eam recipere dotalem pecuniam, (inquit) utile erit legatum. Si tamen hæc dote receperit, nihilominus maritus dotis persecutionem habebit: sive heres institutus esset, familie eriscundæ judicio; sive non, utili actione. Ego puto, quoniam non hoc voluit socer, ut bis dote heres præset, et mulierem agentem ex testamento, cavere debere, *defensio*⁶⁹ iri heredem adversus maritum. Ergo et maritus idem debet cavere, adversus mulierem defensu iri, si prior agat. — § 10. Per contrarium apud Julianum lib. 37 queritur, si socer filio suo exheredato⁷⁰ dote non possit: veruntamen ipsum dote persecuturum ex causa legati: sed non alias eum legatum consecuturum, quam si caverit, *heredes adversus mulierem defensu iri*; et differentiam facit inter eum, si dos relegata est, et oronum⁷¹ libertum, cui peculium legatum est: namque eum de peculio posse conveniri ait; heredem non⁷² posse: quia peculium desit⁷³ penes se habere: at dotis actio nihilominus competit, etsi dote desierit habere. — § 11. Idem Julianus querit, si dote marito relegaverit socer, an dote soluta⁷⁴ mulieri legatum mariti extinguatur? Et dicit extingui: quia nihil esset jam, quod marito posset præstari. — § 12. Idem querit, si dos alii legata esset, eamque rogatus sit mulieri resti-

L. 2, in fin. infr. h. t.; L. 24, § 2, supr. soluto matrim. — 3. L. 52, in pr.; § 1, § 2, supr. de donat. inter vir. et uxorem. — 4. d. L. 52, § 3, 4, 5. — 5. L. 2, in pr. infr. h. t.; L. un. § 5, vers. cum eum. C. de rei usor. act. — 6. L. 56, § 3, supr. de jure dot.; L. 5, in pr. supr. de impens. in res dotal. — 7. L. 75, § 1, supr. de jure dot.; L. 20, supr. soluto matrim. — 8. L. 8, § 1, infr. h. t. — 9. *Fide tamen* L. 88, § 10, supr. de legat. 2. L. 5, C. de falsis causis. — 10. L. un. C. si dos constant. matrim. — 11. *Immo vide* L. 7, in pr. infr. h. t. — 12. d. L. 7, in pr. — 13. § 2, vers. et si qui. Inst. de singul. reb. per fidei com. — 14. *Immo vide* L. 17, § 15, infr. de pecul. leg. — 15. L. 28, supr. de pecul. — 16. L. 7, § 1, infr. h. t.

tuere: an lex Falcidia in legato locum haberet? Et dicit habere⁷⁵: sed quod minus est in fideicommissio, mulierem dotis actione consecuturam. Ego quero, an commoda representationis in hoc legato sic observetur, atque si dos ipsi mulieri fuisset relegata? Et puto [habere]. — § 15. Idem Julianus querit, si mulieri dos sit relegata, eaque rogata *dotem restituere*, an Falcidia locum habeat? Et negat⁷⁶ habere: quoniam fideicommissum quoque negat valere. Quod si præterea quid uxori legatum sit, putat ex residuo fideicommissum præstari: quod utique, habita ratione Falcidie, mulieri præstabitur. Sed et marito ex parte heredem instituto, a socio dote prælegata, legatum dotis Falcidiam passurum: videlicet, quia adhuc constante matrimonio, indebita dos videtur relegata. Verum quod Falcidia recedit, in familie heriscunde judicio maritum præcepturum: quemadmodum totam dote præciperet, si non esset relegata. — § 14. Mela scripsit, si fundus in dote sit, et specialiter sit legatus, mox generaliter dos relegata: non bis⁷⁷, sed semel deberi fundum. — § 15. Ibidem Mela conjungit, si fundus in dote fuit locatus a marito ad certum tempus: uxorem non⁷⁸ alias fundum ex relegatione consequi, quam si caverit, *se passuram colonum frui*: dummodo ipsa pensiones percipiat.

2. ULPIANUS, [lib. 5 Disputationum].

Cum quis uxori suæ dotem relegat, fideique commissum ab ea relinquit: hoc fideicommissum ex commo, quod ex relegatione mulier sentit, æstimabitur: et ita Celsus quoque lib. 20 Digestorum scripsit. Quod si necessaria fuerint impensæ, que ipso jure⁷⁹ dote minuant: amplius dici potest, si tanta quantitas dotis, quam maritus accepit, ei relegata est, oportere dici, etiam eam quantitatem posse fideicommissum erogare, que ipso jure dote minuit: esse enim mulierem legatariam, nemo est, qui dubitet. Sed et si non dos, sed pro dote aliquid uxori fuerit legatum: adhuc quasi dos relegata accipitur. Hoc amplius Julianus scripsit: etsi non fuerit adjectum, pro dote esse legatum, hoc tamen animo relictum: adhuc ejus esse conditionis. Uxor igitur, si rogetur vel dote, vel quod pro dote legatum est, vel quod in vicem dotis sibi adscriptum est, restituere: non cogetur, nisi eatenus, quatenus diximus, restituere. Et ideo heres instituta rogataque quantitatem hereditatis restituere: id demum restituet, quod quantitatem dotis excedit; idque, quod ex representationis commo sentit. Nam et si quis, cum a nuru dote accepisset, filium suum heredem instituerit, eumque rogaverit, *quidquid ad eum ex hereditate pervenisset, restituere*, mox morte uxoris dote fuerit lucratus: id non restitueret, quod ex dote percepit: quia matrimonii causa id lucratus est, non ex patris judio. — § 1. Mulier dote promisit quadringentorum, et dedit fundos duos in ducenta; præterea nomina debitorum in residua ducenta: mox maritus ejus decedens pro dote fundos ei duos, non eos, quos in dote acceperat, reliquit; et præterea duos illos dotales, quos æstimatos acceperat, reliquit; fideique ejus commisit, *ut quidquid ad se ex hereditate ejus pervenisset, id restituere Seio, cum moreretur*. Quærebatur, quantum esset in fideicommissio, muliere defuncta? Dicebam, uxorem hanc, quæ rogata est, *quidquid ad se pervenerit ex testamento, restituere*, in ea esse conditione, ut id demum restituere rogetur, quod deducta tota quantitate ad eam pervenit: dote enim recepisse eam magis⁸⁰, quam accepisse: salvo eo, quod ex commo representationis ab ea fideicommissi potuit. Proinde id quidem, quod pro dote maritus ei reliquit, non cogetur restituere: nisi plus⁸¹ fuit in eo, quam in quantitate dotis: residuum vero, quod præterea illi relictum est, cum⁸² fructibus cogetur restituere. Habebit igitur præcipuam dote cum suis fructibus: id vero, quod extrinsecus ei relictum est, cum fructibus, qui ad eam pervenerint, restituet.

3. JULIANUS, [lib. 54 Digestorum].

Qui ita legat uxori suæ, *Tiia amplius⁸³, quam dotem, aureos tot heres meus damnas esto dare*: manifestus est, dotem⁸⁴ quoque relegasse.

4. AFRICANUS, [lib. 8 Questionum].

Cum vulgari modo dies legatorum profertur, nihil eam rem ad dote relegationem pertinere ait: quia suum diem habeat.

5. MARCIANUS, [lib. 3 Regularum].

Dote relegata non⁸⁵ est heres audiendus, si velit ob donationes in mulierem factas solutionem deferre, vel ob impensas alias, quam quæ ipso jure⁸⁶ dote minuant: aliud est enim, minorem esse factam dote, quod per necessarias⁸⁷ impensas accidit: aliud, pignoris nomine retineri dote ob ea, quæ mulierem invicem præstare æquum est.

75. *Obst.* L. 57, infr. ad leg. Falcid. — 76. L. 25, in fin. supr. de legat. 1. — 77. L. 66, in pr. supr. de legat. 2. — 78. *Immo vide* L. 120, § ult. supr. de legat. 1. — 79. L. 2, § 4, supr. L. 5, infr. h. t. — 80. L. 77, § 13, in fin. supr. de legat. 2. — 81. L. 114, § 3, in fin. supr. de legat. 1. — 82. *Immo vide* L. 83, in pr. supr. de legat. 3. — 83. L. 54, supr. d. t. — 84. *Immo vide* L. 108, § 7, supr. de legat. 1. — 27. L. 41, § 1, supr. de legat. 2. — 28. L. 2, in pr. supr. h. t. — 29. L. 15, supr. de impens. in res dotal. — 30. L. 5, C. de falsis caus. adjct. — 31. L. 14, § 10, supr. h. t. — 32. *Immo vide* § 2, infr. lic. d. L. 1, § 9, in fin. — 33. d. L. 1, § 21 — 34. d. L. 1, § 9.

6. LABEO, [lib. 2 Posteriorum a Javoleno epitomatorum].

Cum scriptum esset: *Quæ pecunia propter uxorem meam ad me venit quinquaginta, tantumdem pro ea dote heres meus dato*: quamvis quinquaginta dotis fuissent, tamen quinquaginta debere Alfenu Varus Servium respondisse scribit, quia proposita summa quinquaginta adjecta sit. — § 1. Item ei, quæ dote nullam habebat, vir sic legaverat: *Quanta pecunia dotis nomine, et reliqua: pro ea quinquaginta heres dato*: debere ei legatum Ofilius, Cascellius, item et Servii auditores retulerunt: perinde habendum esse, ac si servus alicui mortuus, aut pro eo centum legata essent: quod verum est: quia his verbis non⁸⁸ dos ipsa, sed pro dote pecunia legata videtur.

7. PAPIANUS, [lib. 18 Questionum].

Pater dote a nuru acceptam filio exheredato⁸⁹ legavit: heres patris, opposita doli exceptione, non ante solvere legatum cogendus est, quam ei cautum fuerit de⁹⁰ indemnitate soluto matrimonio. — § 1. Sed si prius quam legatum filio solveretur⁹¹, mulier dote suam recipere: frustra filius de legato agat. — § 2. Sed si lex Falcidia locum in legato dotis adversus filium exheredatum habuerit, et mulier solutionem ratam fecerit: propter eam quantitatem, quam heres retinuerit, utilis actio dotis ei dabitur, quod si ratum non habeat, defendi quidem debet heres a viro, qui se⁹² defensorum promisit; sed si totam litem vir solus subierit, actio judicati, si cautum non erit, pro ea quantitate, quæ jure Falcidie petenda est, adversus heredem dabitur. — § 3. Sed si prius quam legatum filio solveretur, mulier divertit: quamquam ipsa nondum præcipere dote possit, non ideo tamen actio filii differtur: quia tunc isdem dicitur filio solvi dote responsum est. Cum patri pro parte heres extitit, et ad præceptionem dotis, soluto matrimonio, postquam heres extitit, admissus est, — § 4. si forte per errorem cautio defensionis omisa sit, et ex causa fideicommissi filius dote accepit: ut indebitum fideicommissum non repeteretur; cautionis enim præstandæ necessitas solutionem moratur: non indebitum facit, quod fuit debitum; sed non erit iniquum, heredi subveniri. — § 5. Quid ergo, si patris heres solvendo sit: nonne juste mulieri dabitur adversus virum utilis actio dotis? cui dos perire non debet: quia non interposuit per errorem heres cautionem.

8. *Idem*, [lib. 7 Responsorum].

Vir uxori, quæ dote in mancipiis habebat, pecuniam pro dote legaverat: vivo viro mancipiis mortuis, uxor post virum vita decessit: ad heredem ejus actio legati recte transmittitur: quoniam mariti voluntas servanda est.

9. *Idem*, [lib. 8 Responsorum].

Uxori meæ fundum Cornelianum, et quæ nuptura obtulit æstimata, in speciebus restitui volo. Respondi, non æstimatum prædium in dote datum, exceptum non videri: sed universa dote prælegata, rerum æstimatarum pretium non relictum; verum ipsas res, quales invenientur.

10. SCÆVOLA, [lib. 8 Questionum].

Si Scæva pro dote centum fundus legatus sit, idemque Mævio: quod Mævio Falcidia auferat, pro eo, quasi concursus non fuerit, mulier plus vindicet: quia amplius sit in dote mulieris.

11. PAULUS, [lib. 7 Responsorum].

Scia, cum nuberet Lucio Titio, dedit dotis nomine centum aureos, et adhibuit Quintum Mucium, qui nihil numeravit, sed dote stipulatus est, si morte mulieris solum fuerit matrimonium: Scia mortuus testamento suo ita cavil: *Lucio Titio marito meo, cui maxims gratias ago, dari volo super dote, quam ei dedi, tot aureos*. Quero, cum instituit Lucium Titium convenire Quintus Mucius ex stipulatu actionem: an repellere eum maritus possit ex verbis testamenti? Respondi, si Quintus Mucius mandante Scia, non donationis causa, stipulatus est, heredibus mulieris eum teneri: et ideo Quintum Mucium exceptione repellendum esse: quod si donationis causa Scia stipulari permisisset videri eum in eum casum, qui morte mulieris extitit, mortis causa stipulatum; et ideo fidei ejus committi potuisse, in eum casum, dicendum fore.

12. SCÆVOLA, [lib. 3 Responsorum].

Qui dote in pecunia numerata et æstimatis rebus acceperat, uxori ita legavit: *Scia uxori meæ, si omnes res, quæ tabulis dotalibus continentur, heredi meo exhibuerit, et tradiderit summam dotis, quam mihi*

88. § 7, supr. de legat. 1. — 27. L. 41, § 1, supr. de legat. 2. — 28. L. 2, in pr. supr. h. t. — 29. L. 15, supr. de impens. in res dotal. — 30. L. 5, C. de falsis caus. adjct. — 31. L. 14, § 10, supr. h. t. — 32. *Immo vide* § 2, infr. lic. d. L. 1, § 9, in fin. — 33. d. L. 1, § 21 — 34. d. L. 1, § 9.

pro ea pater ejus intulit, dari volo hoc amplius [denarios] decem. Quasitum est, cum res in dotem datae plures ipso usu finite essent, nec moriente marito fuerant, an quasi sub impossibili conditione legatum datum debeat? Respondit, videri conditioni paritum, si, quod ex res in dotem datis supererat, in potestatem heredis pervenit.

13. LABEO, [lib. 1 Pithanorum a Paulo epitomatorum].

[Paulus] : Si filiusfamilias, uxorem cum haberet, dotem ab ea acceperat; deinde paterfamilias factus, dotem ei, ut solet, legavit : quamvis patri heres non erit, tamen id legatum debetur.

14. SCÆVOLA, lib. 18 Digestorum.

Theopompus testamento factus duas filias et filium æquis partibus instituit heredes, et codicillis ita cavuit : Την θυγάτηρα μου Κρισπίαν, ἣν ἠγάπησα ἐξ ἐδῶκα ἐξ ἧν εἶ φίλοι μου καὶ οἱ συγγενεῖς δοκιμάσωσι, προνοήσαι ἐκδοθῆναι Πολλιανῶς εἰδῶς μου τὴν γνώμην, ἐπὶ τοῖς ἴσκις, ἐπ' οἷς καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς ἐξέδωκα; id est, Filiam meam Crispinam, quam vellem tradi nuptui cuiuscunque amici mei et cognati approbabit, providebit tradi Pollianus sciens mentem meam, in æqualibus portionibus, in quibus et sororem ejus tradidi. Pollianus a marito puella juratus scripsit, voluisse patrem eandem quantitatem in dotem accipere etiam minorem filiam, quam major accepisset : quæro, an eandem summam dotis nomine coheredes extra partem hereditatis minori filiae præstare debeant? Respondit, eum cujus notio est, æstimaturum, ut eadem quantitas ex communi præcipua minori filiae dotis nomine detur.

15. GAIUS, [lib. 2, de legatis ad Edictum prætoris].

Licet placeat pignoras res, vel in publicum obligatas, heredem, qui dare jussus est, liberare debere : tamen si is, qui tales res in dotem accepit, dotem prælegaverit, non cogetur heres liberare eas, nisi aliud specialiter testator dixerit.

16. PAULUS, [lib. 2, ad Vitellium].

Qui dotem a matre uxoris acceperat, et stipulanti ei promiserat, testamento uxori dotem legavit : cum quasitum esset, an uxor dotis summam consequi posset, respondit, non videri dari uxori, quod necesse sit matri reddi; alias sic respondit, non videri, nisi manifeste uxor docuisset, eam testantis voluntatem fuisse, ut onerare heredes duplici præstatione dotis vellet.

17. SCÆVOLA, lib. 3 Responsorum.

Uxori ita legavit : Uxor mea, quicquid ei comparavi, et quod mihi dedit, e medio sibiumat. Quæro, an dos prælegata videatur? Respondit, verbis quæ proponerentur, videri et de dote legata loqui : nisi aliud testatorem voluisse probaretur. — § 1. Titie uxori meæ, quanta pecunia ad me inve stipulationem dotis ejus nomine pervenit : quæ dos est dotalibus duobus consignatis instrumentis centum aureorum. Quasitum est, an utramque summam consequi possit? Respondit, nihil proponi, cur non possit.

TIT. V.

DE OPTIONE VEL ELECTIONE LEGATA.

1. ULPIANUS, [lib. 2, ad Sabinum].

Divus Pius Cæcilio Proculo rescripsit, eum, cui servorum legata sit electio, tres posse eligere.

2. Idem, [lib. 20, ad Sabinum].

Quotiens servi electio vel optio datur, legatarius optabit, quem velit. — § 1. Sed et homine generaliter legato, arbitrium eligendi quem acciperet, ad legatarium pertinet. — § 2. Data igitur optione, si quis optaverit alienum servum, vel hominem liberum : videndum est, an consumperit optionem? et puto non consumi. — § 3. Eum, cui centum amphorarum electio data sit, acetum eligentem non consumere optionem, si id acetum elegerit, quod vini numero paterfamilias non habuit.

3. Idem, [lib. 23, ad Sabinum].

Scilicet si ante exhibitionem, hoc est, ante degustationem acetum elegerit.

4. PAULUS, [lib. 3, ad Sabinum].

Scyphi electione data, si non omnibus scyphis exhibitus legatarius

Tit. V. — 1. § 22, 23, Inst. de legat. ; L. ult. C. commun. de legat. — 2. L. 20, L. 208, § 2, supr. de legat. 1. L. 23, supr. de legat. 2; § 23, Inst. de legat. — 3. Vide tamen L. 37, in pr. supr. de legat. 1. — 4. L. 9, infr. de tritic. vino, vel oleo legat. — 5. L. 8, in pr. infr. h. l.

elegerit, integram ei optionem manere placet : nisi ex his duntaxat eligere voluisset, cum sciret et alios esse.

5. AFRICANUS, [lib. 5 Questionum].

Nec solum si fraude heredis : sed etiam si alia qualibet causa id eveniret.

3. POMPONIUS, [lib. 6, ad Sabinum].

Mancipiorum electio legata est : ne venditio quandoque eligente legatario interpelletur, decernere debet prætor, nisi intra tempus ab ipso præfinitum elegerit, actionem legatorum ei non competere. Quid ergo, si die præterito, sed antequam venderet heres, vindicare legatarius velit? quia non est damnus subituro heres, propter quod decernere prætor id solet; et quid si die præterito, quem finierit prætor, heres aliquis ex servis, vel omnes manumiserit? nonne prætor eorum tuebatur libertatem? ergo totiens actio deneganda non est, si omnia in integro sint. Idem est, et si pignori aliquos ex his servis heres dederit post diem, vel vendiderit.

7. PAULUS, [lib. 10 Questionum].

Imo et si quosdam servos distraxit, quosdam retinuit : non est audiendus legatarius, si velit optare ex retentis ab herede, cum jam dispoſuerit familiarum heres.

8. POMPONIUS, [lib. 6, ad Sabinum].

Si tibi electio servi, et mihi reliqui legati sunt : decernendum est a prætore, nisi intra certum tempus optaveris, petitionem tibi non data iri. — § 1. Si ex quatuor viriolis duæ, quas elegeris, mihi legate sint : sive duæ solæ relicte sint, sive ab initio duæ solæ fuerint, valet legatum. — § 2. Unius hominis mihi et tibi optio data est : cum ego optassem, si non mutassem voluntatem, deinde tu eundem optaveris, utriusque nostrum servum futurum; quod si ante decessissem, vel furiosus factus essem, non futurum communem : quia non videor consentire, qui sentire non possum : humani autem erit, ut et in hoc casu, quasi semel electione facta, fiat communis. — § 3. Si rerum depositarum electio mihi relicta sit : et ad exhibendum cum eo, apud quem deposite sint, agere potero; et cum herede agere, ut is depositi agendo, facultatem mihi eligendi præstet.

9. JULIANUS, lib. 52 Digestorum.

Cum ita legatur, Titio Stichum do lego, si Pamphilum non elegerit : simile est, atque si ita legatum fuisset, Titio Stichum aut Pamphilum, utrum eorum volet, do lego. — § 1. Quasitum est, si Stichus sub conditione liber esse jussus sit, et mihi optio servi data esset, vel servus generaliter legatus esset : quid juris esset? Dixi : commodius constitui, eum, qui sub conditione libertatem Stichus det, et optionem servorum, non cogitare de Sticho : sicuti constat non cogitare eum de eo, cui presentem dederit; secundum quod si Stichum optavero vel elegero, nihil agam : et ex cæteris nihilominus optabo. — § 2. In eodem casu quasitum est, si optione servorum data, antequam optarem, conditio statuta libertatis defecisset : an Stichum optare possim? Puto Mucianæ sententiæ adsendendum : qua placet, ipsa libertate legatum perimi : non datione statuta libertatis; quare sive vivo testatore, sive post mortem ejus, [et] ante aditam hereditatem conditio statuta libertatis defecerit : legatum erit utile : nam sicut pura libertas, ita statuta libertas adite hereditatis tempore vires accipit; ideoque Stichum optare possum.

10. Idem, [lib. 34 Digestorum].

Si Pamphilo servo Lucii Titii servus generaliter legatus sit, deinde dominus Pamphili, postquam dies legati cesserit, eum manumisisset : si quidem Titius servum vindicaverit, extinguitur Pamphili legatum : quia non esset in hereditate, qui possit optari : si vero Titius legatum a se repudiasset, Pamphilum optare posse legatum constat : licet enim manumissione Pamphili duæ persone constituerentur, Titii et Pamphili, unus tamen rei legatum inter eas vertitur : et Titio vindicante, optio extinguitur; repudiante, Pamphilum optare potest.

11. Idem, [lib. 36 Digestorum].

Si Eros Scio legatus sit, et Eroti fundus, deinde optio servi Mævio data fuerit, jusque Erotem optavit : fundus ad solum Scium pertinebit : quoniam adite hereditatis tempore is solus erit, ad quem posset legatum pertinere. Nam et cum servo communi alter ex sociis legat, idcirco ad solum socium totum legatum pertinet : quoniam die legati cedente solus est, cui per eum servum possit adquirere.

— 6. L. 6, supr. eod. — 7. L. 26, in fin. pr. infr. de verb. sign. — 8. Immo vide L. 2, ult. supr. soluto matrim. — 9. L. 81, § 9, supr. de legat. 1.

12. Idem, [lib. 4, ex Minicio].

Servo generaliter legato, verius est, omnes heredes, si eis electio data est, eundem dare debere : si non consentiant heredes, ex testamento eos teneri.

15. PAULUS, [lib. 8, ad Plautium].

Si optio servi data mihi fuerit, et Stichus aliquid testator sine libertate legasset, tunc sequens legatum consistit, cum tota familia ad unum, id est, Stichum, reciderit : ut quasi pure legato, utiliter sit legatum. Nec adversatur Catoniana¹¹, si voluntarius heres institutus sit : quia potest ante aditam hereditatem, etiamsi statim decesserit, familia minui. Quod si necessarius heres institutus sit, sequens legatum propter Catonianam inutile est. — § 1. Pomponius scribit, emptore hereditatis postulante, ut is, cui servi optio legata sit, optet : videndum esse, an prætor, ut id faciat, cogere debeat legatarium, quemadmodum si heres institutus id postularet : quia potest per heredem id emptor consequi : et quare non possit, non video.

14. JAVOLENUS, [lib. 2, ex Cassio].

Si cum optio servi ex universa familia legata esset, heres aliquem, prius quam optaretur, manumisit : ad libertatem eum interim non perducit : servum tamen, quem ita manumisit, amittit : quia is aut electus, legato cedit : aut relictus, tunc liber ostenditur.

15. Idem, [lib. 2 Epistularum].

Servo sine libertate legavi, deinde optionem servorum Mævio dedi : is eundem servum optavit. Quæro, an id quoque, quod legatum est, ei deberetur? Respondit, Non puto legatum hujus servi nomine ad dominum pertinere.

16. TERENTIUS CLEMENS, [lib. 15, ad legem Juliam et Papiam].

Optione legata placet non posse ante aditam hereditatem optari, et nihil agi, si optaretur.

17. Idem, [lib. 17, ad legem Juliam et Papiam].

Cum optio duorum servorum Titio data sit, reliqui Mævio legati sint : cessante primo in electione, reliquorum appellatione omnes ad Mævium pertinent.

18. SCÆVOLA, [lib. 13 Questionum].

Homine legato, Neratius ait, nihil agi repudiato Pamphilo : itaque eum ipsum eligi posse.

19. PAULUS, [lib. 3 Sententiarum].

Illud, aut illud, utrum elegerit legatarius : nullo a legatario electo, decedente eo post diem legati cedentem, ad heredem transmitti placuit.

20. LABEO, [lib. 2 Posteriorum a Javoleno epitomatorum].

Apud Aufidium lib. 1 rescriptum est : cum ita legatum est, vestimenta, quæ vobis, triclinaria sumto, sibi que habeto; si is dixisset, quæ vellet, deinde, antequam ea sumeret, alia se velle dixisset : mutare voluntatem eum non posse, ut alia sumeret : quia omne jus legati prima testatione, qua sumere se dixisset, consumpsit; quoniam res continuo ejus fit, simul ac si dixerit eam sumere.

21. SCÆVOLA, [lib. 22 Digestorum].

Filium et uxorem heredes scripsit; filiam exheredavit, et ei legatum dedit, cum in familia nuberet, centum, [et cum in familia nupsisset,] his verbis, Insuper arbitratu Sempronie matris ejus mancipia decem, quæ confestim post aditam hereditatem meam a Semproniam uxore mea eligi volo : quæ mancipia, cum in familia nupsisset, dari volo : et si, antequam nupsisset, aliquid ex mancipiis decesserit, tunc in locum ejus arbitratu Sempronie matris ejus dari volo, dum ad eam plenus numerus perveniat : quod si Semproniam mater ejus non elegerit, tunc ipsa sibi quæ volet, eligat. Quasitum est, cum mater elegerit, an ea, quæ ex his mancipiis ante nuptias adgnata sunt, ad puellam supra numerum decem mancipiorum pertineant? Respondit, cum mancipiorum legatum in tempus nuptiarum testator transtulit, id, quod medio tempore ancillæ enixæ sunt, ad filiam non pertinere. Idem quaesivit, ante nuptias, eorundem mancipiorum fructus et usus an ad Semproniam matrem pertineant? Respondit, nihil proponi, cur ad matrem pro solido pertineant.

10. L. 107, § 1, supr. d. t. — 11. L. 86, infr. de condit. et demonstr. — 12. L. 5, infr. qui et a quib. manum. — 13. L. 10, supr. de legat. 1. — 14. L. 160, infr. de verb. sign. — 15. Immo vide L. 27, § 7, supr. de pactis. — 16. L. 22, § 7, infr. quomodo legat. — 17. L. 5, in pr. L. 55, in fin.; L. 84, § 9, supr. de legat. 1. L. 11, in fin. supr. de legat. 2. — 18. L. 24, § 1, supr. de usur.

22. Idem, [lib. 17 Digestorum].

Maritus uxori suæ codicillis per fideicommissum dedit prædia : item lances, quas elegerit, quatuor. Quasitum est, an ex his lancibus, quæ mortis tempore sint, eligere possit? Respondit, posse.

TIT. VI.

DE TRITICO, VINO, VEL OLEO LEGATO.

1. ULPIANUS, [lib. 20, ad Sabinum].

Vino legato, acetum quoque continetur, quod paterfamilias vini numero habuit.

2. POMPONIUS, [lib. 6, ad Sabinum].

Cum alii penum, alii vinum legatum esset : excepto vino, omne penum ad alium legatarium pertinebit. — § 1. Si centum amphoræ, quas velles, tibi legate sint : ex testamento agendo consequi potes, ut degustare tibi liceat : aut quanti interfuerit licere tibi degustare, ad exhibendum agere potes.

3. ULPIANUS, [lib. 23, ad Sabinum].

Si cui vinum sit legatum centum amphorarum, cum nullum vinum reliquisset : vinum heredem empturum et præstaturum : non acetum, quod vini numero fuit. — § 1. Si vinum legatum sit, videamus, an cum vasis debeat? Et Celsus inquit, vino legato, etiamsi non sit legatum cum vasis, vasa quoque legata videri : non quia pars sunt vini vasa, quemadmodum emblemata argenti, scyphorum forte vel speculi, sed quia credibile est, mentem testantis eam esse, ut voluerit accessioni esse vino amphoras : et sic (inquit) loquimur, habere nos amphoras mille, ad mensuram vini referentes. In dolii non puto verum : ut, vino legato, et, dolia debeantur, maxime si depressa in cella vinaria fuerint; aut ea sunt, quæ per magnitudinem difficile moventur. In coppis autem sine cuppulis puto admittendum, et ea deberi : nisi pari modo immobiles in agro, veluti instrumentum agri erant. Vino legato, utres non debentur, nec culeos quidem deberi dico.

4. PAULUS, [lib. 4, ad Sabinum].

Cum certum pondus olei, non adjecta qualitate, legatur : non solet quaeri, cujus generis oleo uti solitus fuerit testator; aut cujus generis [oleum] istius regionis homines in usu habeant; et ideo liberum est heredi, cujus velit generis oleum legatario solvere.

5. JULIANUS, [lib. 15 Digestorum].

Cum certus numerus amphorarum vini legatus esset ex eo, quod in fundo Semproniano natum esset; et minus natum esset : non amplius deberi placuit; et quasi taxationis vicem obtinere hæc verba, Quod natum erit.

6. PROCULUS, [lib. 3 Epistularum].

Cui vinum heres dare damnatus est, quod in amphoris et cadis diffusum est, dari debet : etiamsi vasorum mentio facta non est. Item quamvis cum vasis, cadis, legatum est : tamen id quoque, quod in dolii, legatum esse videtur. Sicuti si servos omnes cum peculio cujusque eorum legasset : etiam eos, quibus peculii nihil esset, legasse videretur.

7. JAVOLENUS, [lib. 2, ex Posterioribus Labeonis].

Quidam heredem damnaverat dare uxori suæ vinum, oleum, frumentum, acetum, mella, salsamenta. Trebatus aiebat, ex singulis rebus non amplius deberi, quam quantum heres mulieri dare voluisset : quoniam non adjectum esset, quantum ex quaque re daretur. Ofilius, Cascelius, Tubero, omne quantum paterfamilias reliquisset, legatum putant. Labeo id probat : idque verum est. — § 1. Lucio Titio tritici modios centum, qui singuli pondo centum pendeant, heres dato. Ofilius, nihil legatum esse : quod et Labeo probat : quoniam ejusmodi triticum in rerum natura non esset : quod verum puto.

8. POMPONIUS, [lib. 6 Epistularum].

Si heres damnatus sit dare vinum quod in dolii esset, et per legatarium stetit, quo minus accipiat : periculose heredem facturum, si id vinum effundet : sed legatarium petentem vinum ab herede, doli mali ex-

Tit. VI. — 1. L. 9, in pr. vers. hæc omnia, infr. h. t. L. 2, in fin. supr. de optione legat. — 2. L. 38, in fin. supr. de iudic. — 3. L. 8, in fin. supr. de optione legat. — 3. Vide tamen L. 1, supr. h. t. — 4. L. 24, L. 25, supr. eod. — 5. L. 52, supr. mandati. — 6. L. 59, § 1, supr. de contrah. empt. — 7. L. 15, infr. h. t. — 8. L. 108, § 10, supr. de legat. 1.

ceptione placuit summoveri, si non praestet id, quod propter moram ejus damnus passus sit heres.

9. ULPIANUS, [lib. 25, ad Sabinum].

Si quis vinum legaverit, omne continetur, quod ex vinea natum vinum permansit. Sed si mulsum sit factum, vini appellatione non continebitur proprie: nisi forte paterfamilias etiam de hoc sensit. Certe zythum, quod in quibusdam provinciis ex tritico, vel [ex] hordeo, vel [ex] pane conficitur, non continebitur. Simili modo nec camum, nec cervesia continebitur, nec hydromeli. Quid conditum? nec hoc puto, nisi alia mens testantis fuit. Oenomeli plane, id est, dulcissimum vinum, continebitur. Et passum, nisi contraria sit mens, continebitur. Defrutum non continebitur, quod potius conditurae loco fuit. Acinaticium plane vino continebitur. Cydoneum et si qua alia sunt quae non ex vinea fiunt, vini appellatione non continebuntur. Item acetum vini appellatione non continebitur. Haec omnia ita demum vini nomine non continentur, si modo vini numero a testatore non sunt habita: alioquin Sabinus scribit, omnia vini appellatione contineri, quae vini numero paterfamilias habuit; igitur et acetum quod vini numero paterfamilias habuit, et zythum, et camum, et caetera quae pro hominum affectione atque usu vini numero habebuntur. Quod si totum vinum, quod paterfamilias habuit, coacuit, non extinguitur legatum. — § 1. Si acetum quis legaverit: non continebitur legatum acetum, quod vini numero testator habuit: embamma autem continebitur: quia acetum numero fuit. — § 2. Item si quis vinum, quod habuit, legavit, deinde [hoc] coacuit: licet postea in acetum locum translatum sit a paterfamilias, vino legatum continebitur: quia id quod testamenti facti tempore vinum fuit, demonstratum est; et est hoc verum, nisi voluntas adversetur. — § 3. Vino autem paterno legato, id demum legatum videtur, quod testator vini numero habuit, non quod pater. Item si peculiare vinum legatum sit, id continebitur, quod servi habuerunt. Cur tam diverse? Quod paternum vinum jam cepit usus ipsius testatoris esse: at peculiare in usu servorum remansit. — § 4. Item si vinum vetus sit legatum.

10. HERMOGENIANUS, [lib. 2 juris Epitomarum].

Ex usu testatoris legatum aestimabitur: id est, quot annorum vino pro veteri utebatur: quod si non appareat.

11. ULPIANUS, [lib. 25, ad Sabinum].

Vetus [accipietur], quod non est novum: id est, et anni prioris vinum appellatione veteris continebitur.

12. PAULUS, [lib. 4, ad Sabinum].

Nam aliter observantibus, quis finis, aut quod initium veteris vini numeretur?

13. ULPIANUS, [lib. 25, ad Sabinum].

Ex eo vino, quod in illo fundo nascetur, heres meus amphoras decem quotannis in annos singulos dato: quo anno natum non fuisse, ex superiore anno ejus fundi cum numero amphorarum heredem datum, Sabinus existimat: quae sententia, si voluntas non adversetur, mihi quoque placet.

14. POMPONIUS, [lib. 6, ad Sabinum].

Vino legato, ea demum vasa sequuntur, quae ita diffusa sunt, ut non ad perpetuum usum [vasa] reservarentur: veluti amphorae et cadi.

15. PROCLUS, lib. 2 Epistularum.

Vinum cum vasis legavit: negat Trebatius, quod in dolis sit, deberi: et sensum testatoris alium putat esse; verborum, alium: ceterum dolia in vasis vinariis non essent: ego, etsi dolia in vasis vinariis non sunt, tamen non concederem Trebatio, vinum, quod in dolis esset, id est, quod in vasis non esset, non esse legatum. Illud verum esse puto, cui vinum cum vasis legatum erit, et amphoras, cados, in quibus vina diffusa servamus, legatos esse: vinum enim in amphoras et cados hac mente diffundimus, ut in his sit, donec usus causa probetur; et scilicet id vendimus cum his amphoris et cadis: in dolia autem alia mente conjicimus, scilicet ut ex his postea vel in amphoras et cados diffundamus, vel sine ipsis dolis veneat.

16. Idem, lib. 3, ex Posterioribus Labeonis.

Qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum, is tibi vinum legaverat in amphoris: omne illud quoque vinum, quod in urnalibus fuisse, legatum esse Labeo et Trebatius responderunt. — § 1. Cui dulcia legata essent, si nihil aliud testamento significetur: omnia haec esse

9. L. 1, supr. h. t. — 10. L. 44, § 2, in fin. supr. de legat. 1. — 11. L. 85, vers. si enim responsum est, supr. de legat. 3. — 12. L. 17, in fin. supr. de annis legat. — 13. Immo vide L. 206, infr. de verb. sign. — 14. L. 5, in fin. infr. h. t. — 2. L. 12, § 14, infr. cod.; L. 35, § 3, supr. de

legata, mulsum, passum, defrutum, et similes potiones; item uvae, ficos, palmas, caricae. — § 2. Quod si ita esset legatum, Vinum amphorarium, amineum, graecum, et dulcia omnia: nihil inter dulcia, nisi quod potiones fuisse, legatum putat Labeo ex collatione vini amphorarii; quod non improbo.

TIT. VII.

DE INSTRUCTO VEL INSTRUMENTO LEGATO.

1. PAULUS, lib. 4, ad Sabinum.

Sive cum instrumento fundus legatus est, sive instructus, duo legata intelliguntur. — § 1. Fundo cum instrumento legato et alienato, instrumentum non vindicabitur ex sententia defuncti.

2. PAPINIANUS, lib. 7 Responsorum.

Cum pater, pluribus filiis heredibus scriptis, duobus proceptionem bonorum aviae praeter partes hereditarias dedisset: pro partibus coherentium viriles habituros legatarios placuit. — § 1. Dotes praediorum, quae graeco vocabulo ἐνθήκη appellantur, cum non instructa legantur, legatario non praestantur.

3. Idem, lib. 8 Responsorum.

Fundum instructum liberti patrono testamento legavit: postea codicillis petit, ut mortentes partes suas fundi superstitibus restituerent; nec instructi mentionem habuit. Talem in causam fideicommissi deductum videri placuit, qualis fuerat legatus: sed medii temporis augmenta fectum et partium, item detrimenta fatalium, fideicommissio contineri. — § 1. Minor viginti annis, instructa praedia consobrinate suae dari voluit, et quosdam servos praediorum vivis manumissit: non idcirco servi manumissi praestabuntur, quod ad libertatem pervenire non possunt. Idem juris est, cum ex quavis alia causa libertas non competit.

4. JAVOLENUS, [lib. 2, ex Posterioribus Labeonis].

Cum quidam duos fundos junctos haberet, et ex altero boves, cum opus fecissent, in alterum revertentur, utrumque fundum cum instrumento legaverat: Labeo, Trebatius, boves ei fundo cessuros putari; ubi opus fecissent, non ubi manere consueverant: Cascellius contra: Labeonis sententiam probat.

5. LABEO, lib. 1 Pithanon a Paulo epitomatorum.

Si cui fundum et instrumentum ejus legare vis, nihil interest; quomodo leges: Fundum cum instrumento, an Fundum et instrumentum [an Fundum instructum]. Paulus: imo contra: nam inter ea legata hoc interest, quod si fundo alienato mortuus fuerit, qui ita legavit, ex hac scriptura, Fundum cum instrumento, nihil erit legatum: ex ceteris poterit instrumentum esse legatum.

6. SCAEVOLA, [lib. 16 Digestorum].

Nepoti legaverat, quae certa regione praedia habuerat, ut instructa sunt, cum vino, grano, calendario: et adjecerat haec verba, Quidquid erit, cum moriar, in illa regione, et quidquid in quacunque specie erit in illa regione, vel quod meum erit: viva testatrice unus ex debitoribus condemnatus, vivente testatrice satis non fecit. Quaesitum est, an quod ex sententia iudicis deberetur, ad nepotem pertineret? Respondit, nihil proponi, cur non deberetur.

7. Idem, [lib. 22 Digestorum].

Tabernam cum cenaculo Pardulae manumisso testamento legaverat cum mercibus et instrumentis, et suppellectili, quae ibi esset: item horreum vinarium cum vino, et vasis, et instrumentis, et institutoribus, quos secum habere consueverat. Quaesitum est, [et] cum vivo testatore insula, in qua cenaculum fuit quod ei legatum erat, exusta sit, et post biennium eodem loco constituta nova; et horreum, quod eidem legatum erat, a testatore venierit: vini autem venditio dilata sit, ut ex eo commoda venirent: an universa legata Pardula consequi possit? Respondit, ea, in quibus voluntas mutata esset, non deberi.

8. ULPIANUS, [lib. 20, ad Sabinum].

In instrumento fundi ea esse, quae fructus quaerendi, cogendi, conservandi gratia parata sunt, Sabinus libris ad Vitellium evidenter enumerat. Quaerendi, veluti homines, qui agrum colunt, et qui eos exerced. instit. — 3. Immo vide § 17, in fin. Inst. de legat. — 4. L. 1, in fin. supr. h. t.; d. § 17, in fin. — 5. L. 16, in pr. supr. de usu et habit. — 6. L. 65, in fin. supr. de legat. 1. — 7. L. 12, § 12, supr. de legat. 3. — 8. L. 12, § 2, 3, 4, 5, 27; L. 16, § ult.; L. 20, in fin. infr. h. t. — L. 3, C. de verb. sign.

cent, praepositive sunt his; quorum in numero sunt villici, [et] monitores: praeterea boves domiti, et pecora, stercorandi causa parata, vasaque utilia culturae; quae sunt aratra, ligones, sarculi, falces putatoriae, bidentes, et si qua similia dici possunt. Cogendi, quemadmodum torcularia, corbes, falcesque messoriae, falces fenariae, quali vindemiatorii, exceptoriaeque, in quibus uvae comportantur. Conservandi, quasi dolia, licet defossa non sint, et cupae. — § 1. Quibusdam in regionibus accedunt instrumentis, si villa cultior est, veluti atrienenses, scoparii: si etiam viridaria sint, [topiarii]: si fundus saltus pastionesque habet, greges pecorum, pastores, saltuarii.

9. PAULUS, [lib. 4, ad Sabinum].

De grege ovium ita distinguendum est, ut si ideo comparatus sit, ut ex eo fructus caperetur, non debeatur: si vero ideo, quia non aliter ex saltu fructus percipi poterit, contra erit; quia per greges fructus ex saltu percipiuntur.

10. ULPIANUS, [lib. 20, ad Sabinum].

Si redditus [etiam] ex melle constat, alvei apesque continentur.

11. JAVOLENUS, [lib. 2, ex Cassio].

Eadem ratio est in avibus, quae in insulis maritimis aluntur.

12. ULPIANUS, [lib. 20, ad Sabinum].

Quaesitum est, an frumentum, quod cibariis cultorum paratum foret, instrumento cederet? Et plurimum non placet: quia consumeretur: quippe instrumentum est apparatus rerum diutius mansurarium, sine quibus exerceri nequiret possessio: accedit eo, quod cibaria victus magis quam colendi causa pararentur. Sed ego puto, et frumentum et vinum ad cibaria paratum instrumento contineri: et ita Servium respondisse auditores ejus referunt. Item nonnullis visum est, frumentum, quod serendi causa sepositum est, ipse instrumento contineri: puto, quia et instar culturae esset; et ita consumitur, ut semper reponeretur: sed causa seminis nihil a cibariis differt. — § 1. Conservandi fructus causa: veluti granaria, quia in his fructus custodiuntur, urceos, capsellas, in quibus fructus componuntur, sed et ea, quae exportandorum fructuum causa parantur, instrumentis esse constat: veluti jumenta, et vehicula, et naues, et cupae, et culci. — § 2. Alfenus autem, si quosdam ex hominibus aliis legaverit, ceteros, qui in fundo fuerunt, non contineri instrumento ait: quia nihil animalis instrumenti esse opinabatur; quod non est verum: constat enim eos, qui agri gratia ibi sunt, instrumento contineri. — § 3. Quae sit, an servus, qui quasi colonus in agro erat, instrumento legato contineatur? Et Labeo et Pegasus, recte negaverunt: quia non pro instrumento in fundo fuerat, etiam si solitus fuerat et familiae imperare. — § 4. Saltuarium autem Labeo quidem putat eum demum contineri, qui fructuum servandorum gratia paratus sit: eum non, qui finium custodiendorum causa: sed Neratius etiam hunc: et hoc iure utimur, ut omnes saltuarii contineantur. — § 5. Trebatius amplius etiam pistorem, et tonsorem, qui familiae rusticae causa parati sunt, putat contineri: item fabrum, qui ville reficienda causa paratus sit; et mulieres, quae panem coquant, quaeque villam servent; item molitores, si ad usum rusticum parati sunt: item focariam, et villicam, si modo aliquo officio virum adjuvet; item lanificas, quae familiarum rusticam vestiunt, et quae pulmentaria rusticis coquant. — § 6. Sed an instrumenti instrumentum legato instrumento continetur, quaeritur: haec enim, quae rusticorum causa parantur, lanifica, et lanae, et tonsores, et fullones, et focariae, non agri sunt instrumentum, sed instrumenti? Puto igitur etiam focariam contineri: sed et lanificas, et ceteros, qui supra numerati sunt: et ita Servium respondisse auditores ejus referunt. — § 7. Uxores quoque et infantes eorum, qui supra enumerati sunt, credendum est in eadem villa agentes voluisse testatorem legato contineri: neque enim duram separationem injunxisset credendum est. — § 8. Si aliqua parte anni in fundo pascantur pecora, aliqua parte his pabulum conducitur; vel servi, si aliqua parte anni per eos ager colitur, aliqua parte in mercedem mittuntur: nihilominus instrumento continetur. — § 9. Celulariarum quoque [id est], ideo praepositum, ut rationes salvae sint, item ostiarium, milionemque instrumenti esse constat. — § 10. Et molas, et machinas, fenum, stipulas, asinum machinarium, et argenti fiat, et aqua ad bibendum lavandamque familiarum paratur, instrumenti esse: et cribra, et plaustra, in quibus sterces evehantur. — § 11. Ea

9. L. 12, § 11, in fin. infr. h. t. — 10. L. 22, § 21; L. 2, C. de verb. sign. — 11. d. L. 12, § 4. — 12. d. L. 12, § 15. — 13. L. 15, § 9, in fin. infr. h. t. — 14. d. L. 15, § 9. — 15. L. 19, in pr. infr. cod. — 16. L. 8, in fin. supr.; L. 15, § ult.; L. 17, in fin. infr. h. t.; L. 60, in fin. supr. de legat. 2. — 17. L. 15, in pr. infr. h. t. — 18. § 6, infr. h. t. — 19. d. § 6. — 20. d. § 6; L. 16, § ult. infr. cod. — 21. § 3, supr. h. t. — 22. d. § 2. — 23. d. § 5. — 24. Fac. L. 41, § 3, supr. de legat. 3; L. 8, supr. de pignori; L. 11, C. commun. utriusque iudic. — 25. L. 16, in fin. infr. h. t. — 26. Immo vide L. 18, § 2, infr. cod. — 27. L. 11, supr.

vero, quae solo continentur, instrumenti fundi non esse Cassius scribit: veluti arundineta, et salicta, antequam caesa sint: quia fundus fundi instrumentum esse non potest; sed si caesa sint, puto contineri: quia quaerendo fructui deserviunt. Idem et in palis erit dicendum. — § 12. Si in agro venationes sint, puto venatores quoque, et vestigatores, et canes, et caetera, quae ad venationem sunt necessaria, instrumento contineri: maxime si ager [et] ex hoc redditum habuit. — § 13. Et si ab aucupio redditus fuit, aucupes, et plage, et huius rei instrumentum agri instrumento continebitur: nec mirum: cum et aves instrumentum, exemplo apium, contineri Sabinus et Cassius putaverunt. — § 14. Si quis eodem instrumento in plurimis agris utatur, cujus agri sit instrumentum, quaeritur? Et ego arbitrator, si quidem apparet voluntas paterfamilias, cui potius agro destinaverat, ejus esse instrumentum: ceteri enim agri ab hoc agro veluti mutantur; si non appareat, nullius instrumento cedet: neque enim pro parte dividemus instrumentum. — § 15. Supellex, caeteraque si qua in agro fuerunt, quo instructor esset paterfamilias, instrumento fundi non continentur. — § 16. Si domus sit instrumentum legatum, videndum quid contineatur? Et Pegasus ait, instrumentum domus id esse, quod tempestatis arcendae aut incendii causa paratur; non quod voluptatis gratia: itaque neque specularia, neque vela quae frigoris causa vel umbrae in domo sunt, deberi. Quae sententia Cassii fuit, qui dicebat, inter instrumentum et ornamentum multum interesse: instrumenti enim ea esse, quae ad tutelam domus pertinent: ornamentum, quae ad voluptatem; sicuti tabulae pictae. — § 17. Vela autem Cilicia instrumentum esse Cassius: quae ideo parantur, ne adificia vento vel pluvia laborent. — § 18. Acetum quoque quod extinguendi incendii causa paratur: item cantones, sifones, perlicae quoque et scae: et formiones, et spongiae, et hamas, et scopas contineri, plerique et Pegasus aiunt.

§ 19. Tegulam autem, et tignum ejus rei causa paratum, instrumento contineri, si ad hujusmodi causam habeat tigna parata, ad alios usus non deservientia. Proinde et fulcimenta, si qua habeat huic rei necessaria, etiam ea instrumento domus continebuntur. — § 20. De velis, quae in hypethris extenduntur, item de his quae sunt circa columnas, Celsus scribit, magis suppellectili adnumeranda: et ita Sabinus et Cassius putare. — § 21. Canales autem, et harpagones, et hamas, instrumentum contineri constat. — § 22. Item perlicae, quibus araneae detegantur: item spongiae, quibus columnae, pavimenta, podia extergantur: scae, quae ad lacunaria admoveantur, instrumenti sunt: quia mundiores domum reddunt. — § 23. Papinianus quoque lib. 7 Responsorum ait: Sigilla et statuae adfixae, instrumento domus non continentur, sed domus portio sunt; quae vero non sunt adfixae, instrumento non continentur, inquit: suppellectili enim adnumerantur: excepto horologio aereo, quod non est adfixum, nam et hoc instrumento domus putat contineri: sicut prothyrum domus, si velamen est, [inquit] instrumento domus continetur. — § 24. Fistulae autem et canales et crateres, et si qua sunt alia ad aquas salientes necessaria: item serrae et claves, magis domus portio quam domus instrumentum sunt. — § 25. Specularia quoque adfixa, magis puto domus esse partem: nam et in emptione domus et specularia et pegmata cedere, sive in edificio sunt posita, sive ad tempus detracta. Sed si non sint reposita, ad hoc tamen sint, ut suppleantur, si qua desint, instrumento potius continebuntur. — § 26. Cancellos quoque instrumento contineri puto. — § 27. Sed si fundus non sit cum instrumento legatus, sed ita ut instructus sit: quaesitum est, an plus contineatur, quam si cum instrumento legatus esset? Et Sabinus [libris] ad Vitellium scribit, fatendum esse, plus esse, cum instructus fundus legetur, quam si cum instrumento: quam sententiam quotidie incresecere et invalsescere videmus. Quanto igitur hoc legatum uberius est, videndum est. Et Sabinus definit, et Cassius apud Vitellium notat, Omnia quae eo collata sunt, ut instructor esset paterfamilias, instructo [inquit] continebuntur: id est, quae ibi habuit, ut instructor esset. Hoc ergo legato non agri instrumentum, sed proprium suum instrumentum reliquisse videtur. — § 28. Proinde si fundus sit instructus legatus, et supellex continebitur, quae illic fuit usus ipsius gratia; et vestis non solum stragula, sed et qua ibi uti solebat; mensae quoque eboreae, vel si quae aliae; item vitrea, et aurum, et argentum: vina quoque, si qua ibi fuerint usus ipsius causa, continentur, et si quid aliud utensilium.

§ 29. Sed si qua eo congesterant non usus sui causa, sed custodiae

cod. — 28. L. 10, supr. cod. — 29. L. 4, supr. cod. — 30. Vide tamen § 20, infr. h. t. — 31. L. 17, § 4, supr. de act. empt. — 32. Immo vide § 16, supr. h. t. — 33. L. 3, § 3, infr. de penu legat. 1. — 34. § 22, infr. h. t. — 35. § 21, infr. h. t. — 36. § 18, supr. h. t. — 37. d. § 18. — 38. Immo vide L. 245, in pr. infr. de verb. sign. — 39. L. 15, supr. de act. empt. — 40. L. 17, in pr. supr. d. t. — 41. L. 41, § 10, supr. de legat. 1. — 42. § 43, infr. h. t. — 43. § 35, § 39, infr. h. t. — 44. Immo vide L. 15, § 1, infr. h. t. — 45. L. 1, C. de verb. sign.